



~~Ed. 67~~

nicht versilmbaar

M) Gymnasium, Joh. Jas.

nebst 21-46)

Ed. 67
nicht weiter versilmbaar
nicht PK

(30) = MF

Pfatz. Wappen 215)





Disputatio
DE POENITENTIA.

De qua

Auspicijs Sacrosanctae Trinitatis,

AVTHORE ET

PRÆSIDE REVERENDO

ET CLARISSIMO VIRO, IACOBO

Heerbrando, S. S. Theologiae Doctore, eiusdemq[ue]

in Academia Tubingensi, Professore eximio, præ-

ceptore suo summa obseruantia colendo, 12. Mar-

tij, hora 6. matutina, in aula noua, exercitiij

causa, pro ingenij sui tenuitate, re-

spondere conabitur,

M. Christophorus Lindlin Stutgardianus.



Ed 67


Tubingæ, Per Alexandrum Hoggium, 1585.

*2. ante
No. 5.*

v



Jakob Heerbrand



Disputatio
DE POENITENTIA.

Doctrina de Pœnitentia, omnium prima est, & antiquissima, utpote, quæ in Paradiso cæperit.

2. Statim enim Deus Opt. Max. post lapsum primorum parentum, ipse concionatoris munere functus est, prodiens, ad Pœnitentiam protoplastas sua voce reuocauit.

3. Et antea tacitè, animaduerso ipsius aduentu, percussos metu, conscientiaq; propria, quæ mille testes est, testimonio conuictos, postea voce legis latae, transgressionis eiusdem & violationis reos egit, tribunali suo sistens.

4. Deinde verò immensa bonitate, clementia, & misericordia, pterrefactos, et quorsum fugerent ignaros, edita promissione Euangelij, de semine mulieris, contrituro caput serpentis, consolatus est, vicissim erigens, in gratiã eos recepit.

5. Hoc eodem modo per Patriarchas, Deus mundum originalem, ad pœnitentiam, ante & post Diluuium, peccatores vocauit. Vt, per Noah, præconem iustitiæ, 120. annos spatiũ concedens pœnitentiæ.

6. Similiter & per Prophetas sanctos populum suum, & vicinos. Quod ex concionibus ipsorum apparet, quibus propter peccata exitium illis minati sunt.

7. Quo consilio Ionas Niniue urbem magnam ab ipso missus est, ut pœnitentiam prædicaret, ne perirent.

8. Hoc ipsum Baptista fuit officium, ut præco esset pœnitentiæ, & Christum monstraret præsentem, liberatorem & redemptorem generis Humani, à Deo promissum, Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi.

9. Hoc docendi pœnitentiam officio functus est & ipse-

Disputatio

Marc. 1. met saluator, conciones suas his exordians verbis: Pœnitentiam, inquiens, agite, & credite Euangelio.

10. Hoc ipsum quoq; iniunxit Discipulis suis à sua resur-

Luc. 24. rectione: An non sic, inquiens, oportebat Christum pati, & tertia die resurgere à mortuis, & predicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorũ, in omnes gentes.

11. Et valdè necessaria est, & salutaris, hac de Pœnitentia doctrina, dextrè proposita.

Gen. 6. 8. 12. Ingens enim est humane nature deprauatio & corruptio, ad eò ut omne figmentum cordis humani, tantummodò malum sit ab infantia: à qua nec etiam sancti & renati sunt immunes.

13. Deinde, ijdem etiam pessimis mouentur & seducuntur mundi exemplis, quæ, sicut diluuium quoddam, secum etiam bonos abripiunt, qui vnâ communibus inuoluuntur peccatis.

14. Trahunt enim ferè singuli aliquid vitii ex suorum temporum moribus malis. Sicut Digamia & Polygamia, ex impia Cainitarum Ecclesia, in piorum etiam Patriarcharum Ecclesiam peruasit.

1. Pet. 5. 15. Præterea, ingens est potentia, malitia, astutia atq; indefessum Sathanæ studium, qui in omnes intentus est occasiones, easq; sollicitè quarit, quibus pios in scelera, & sic laqueos suos pertrahat, & precipitet, circumiens tanquam leo, querens quem deuoret.

16. Hinc lapsus graues, & horrendi ac multiplices, etiam verè sanctorum. Ut Aharonis, summi viri, qui à multitudine impulsus, Idolatriam turpissimam in populo Dei sancto, fideiq; sua concredito, instituit. Dauid in adulterium prolapsus est, & hinc, ut illud palliaret, homicida factus, multos

De Pœnitentia.

multos bonos & innocentes ac fortes viros morti obiecit indignissima. Petrus ex infirmitate, & metu periculorum percussus, Christum Dominum turpissimè abnegavit, & abiuravit.

17. Eiusmodi lapsibus, Spiritus sanctus in hominibus contristatur, & excidunt tales gratia Dei.

18. Ideoq; opus est pœnitentia, qua cum Deo in gratiam redeant, & reconcilientur.

19. De qua non malè dicitur: quod altera sit post naufragium tabula, per quam post baptismum acceptum, peccantes, cum Deo reconciliati, ad portum aeternae salutis transuehantur. Non secus, ac per tabulam, seu asserem, ex naufragio enatant homines.

20. Dicitur autè Pœnitentia Hebr. תשובה qua vox est visitata, significans conuersionem, videlicet, à peccatis ad Deū.

21. Vnde sepè Dominus per Prophetas ad populum suum dicit: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, & salui eritis.* *Esa. 45. Ier. 3. Ezech. 18. of. 14. Ioel. 2. Zach. 1.*

22. Graecis μετανοια & μεταμέλεια dicitur quod aliter sentire, & affectū esse, atq; resipiscere significat, cū improbamus quod antè pbauimus, & ita mutationē mentis & consiliorū, cū quis priora reprehēdit, & mutare cupit, adq; mentē redit.

23. A quo non multum abludit, Pœnitentia, quod Latini dolorem significat, ob factum aliquod nostrum, aut propter praetermissionem alicuius rei animo angi. Dictum enim putant, Pœnitet, quasi Pœna tenet.

24. Et sumitur in Scriptura sacra aliquando, pro tota hominis conuersione ad Deum. Vt Luc. 15. Gaudium est angelis in caelo super vno peccatore pœnitentiam agente. Et Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Item, Act. 11. Ergo & gentib; dedit Deus pœnitentiā ad vitam.

A 3

25. Aliis

Disputatio

25. Alijs autem multis locis Scriptura (ubi distinctè ponuntur, pœnitentia, & fides in Christum, aut, pœnitentia & remissio peccatorum) pœnitentia, & pœnitentiam agere, nihil aliud significat, quam peccata verè agnoscere, seriò dolere, & à peccatis in posterum abstinere. Vt Mar. 1. dicit Christus: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio, Luc. ult. oportet prædicare in nomine eius (Christi) pœnitentiam & remissionem peccatorum Act. 20. Testificans, quæ est erga Deum, pœnitentiam, & fidem.

26. Ad salutarem enim pœnitentiam, dolor iste, siue Contritio, non sufficit. Hæc enim si sola sit, desperationem parit, ut in Cain, & Iuda.

27. Sed fidem in Christum accedere necesse est, cuius meritum & beneficia, per dulcissimam & consolationis plenissimam Euangelij doctrinam, omnibus resipiscentibus peccatoribus, qui per concionem legis perterrefacti & prostrati erant, offeruntur.

28. Quod itaq; alicubi truncatæ sententiæ citantur: Pœnitentia est, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Item: Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, punientis in se, quod dolet se commisisse, &c. Imperfectæ sunt hæc, & unius tantum partis pœnitentiæ descriptiones.

29. Est ergo Pœnitentia, vera & seria hominis peccatoris ad Deum conuersio, qua agnitis ex legis doctrina peccatis, dolens de offensa Dei angitur, & fide concepta, ex Euangelio, in Christum propitiatorem, se erigit, quam sequuntur bona opera, digna ijs qui resipiscunt.

30. Hæc pœnitentiæ descriptio, penè totidem verbis exat in Actis Apostolorum, ubi electum illud Dei organum, D. Paulus, de suo ministerio dicit: In omnem regionem Iudea, & gentibus, annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.

31. Similiter

Act. 26.

De pœnitentia.

31. Similiter & Ioannes Baptista, pœnitentiam, inquit, agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Facite ergo fructus, pœnitentia dignos. Math. 3.

32. Hac pœnitentia non hominis, sed Dei est opus, qui eam operatur in homine, quem ipse conuertit.

33. Sicut illustria sunt Scriptura testimonia: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Et iterum: Conuerte me Domine & conuertar, postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam. Thre. 5. Jer. 31.

34. Quod verò Dominus sæpè per Prophetas clamat: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: His mandatis non docet Dominus, hominem se suis viribus posse ad Deum conuertere: sed hoc tantùm significare vult: quid nempe homini sit faciendum, si salutem æternam consequi velit, opus nempe esse conuersione ad Deum, aliàs ipsi pereundum perpetuò.

35. Nec enim ex mandato Dei, sequitur effectus probatio.

36. Vnde autem hac hominis ad Deum sit conuersio, alibi idem docet, inquiens: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis Idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini: Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum, & saluabo vos ex omnibus inquinamentis vestris. Ezech. 36.

37. Hanc salutarem conuersionem Deus non immediatè, per Spiritum suum sanctum, operatur, sicut Enthusiasta somniant,

Disputatio

mniant, sed mediante verbo suo, per quod, tanquam organū à se institutum & ordinatum, efficax est & operatur.

Ier. 23.

38. Voce enim legis, tanquam malleo ferreo, saxea hominum corda, aliàs pœnitere nescia, securo, & in peccatis mortua, conterit. Sicut per Prophetam dicit Dominus: Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras. Et Apostolus: Per legem enim agnitio peccati.

Rom. 3.

39. Sicut David conqueritur grauissimè de illis terroribus, inquiens: Non est pax ossibus meis, nec sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ. Omnes fluctus tui venerunt super me, & contexerunt me tenebra. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripas me. Et Hizkias: Sicut Leo, contriuit omnia ossa mea.

40. Doctrina autem Euangelii dulcissima, fidem accendit, qua illuminantur & eriguntur perturbata hominum corda, percepta consolatione, de gratuita peccatorum remissione, per & propter Christum.

41. Partes itaq; pœnitentiæ, propriè, & cum Scriptura Sacra loquendo, duæ sunt, Contritio & Fides.

March. 3.

42. Nam bona opera, & fructus pœnitentiæ sequentes, non pars, sed effectus sunt, sequens pœnitentiæ. Sicut disertè Baptista inquit: Facite fructus pœnitentiæ dignos.

43. Quemadmodum enim duo præcipua sunt doctrinae cœlestis capita, lex & Euangelium: ita etiam secundum hæc duo capita, duæ sunt conuersionis hominis peccatoris partes, contritio & fides. Quæ etiam aliis vocabulis, in Scriptura sacra, exprimuntur, ab effectibus sumptis, & dicuntur mortificatio & viuificatio.

44. Mortificatio significat veros dolores, quales sunt morientium, qui per legem incutiuntur & excitantur.

Quos

De pœnitentia.

Quos natura humana sustinere non posset, nisi erigeretur fide. Hæc enim nisi accedat, homines in desperationem incidunt & pereunt.

45. Viuificatio, consolatio est Spiritus S. per Euangelij promissiones, quæ verè sustentant fugientem vitam in contritione. Sicut Dauidi dicit Nathan: Dominus abstulit peccatū tuū, non morieris. Vnde idem inquit: Nisi lex tua, id est, *Psalm. 119.* doctrina Euangelii (Lex enim generaliter ex vi vocabuli, doctrinam significat, & ita etiam pro Euangelii doctrina accipitur) delectationes vel consolatio mea fuisset, periissem utiq; in afflictione mea.

46. Et hoc est, quod in Scriptura dicitur: Deus deducit ad inferos, & reducit, mortificat & viuificat: quorum illis contritio, his fides describitur: quæ præcipua sunt Dei opera in saluandis, damnare, & perterrefacere propter peccata, ac consolari, erigere, iustificare, & viuificare: Quorum illud per legem, hoc per Euangelium, eiusq; promissiones de gratia Dei, per & propter Christum, Deus operatur.

47. Similiter & Apostolus utrunq; describit, cum inquit: Christum deleuisse chirographum, quod per legem nobis aduersabatur. *Coloss. 2.*

48. Chirographum est conscientia, in qua scripta sunt omnia nostra peccata. Lex, verbum est, & doctrina arguens & condemnans peccata. Quæ Christus suo sanguine deleuit, sicut atramento debita in chirographo inducuntur, & delentur.

49. Sic Dauid orat: Omnes iniquitates meas dele. Quod per Prophetam Isaiam Dominus se facere promisit: Ego sum ipse, inquit, qui deleo iniquitates tuas propter me. Item: *Isa. 43. 44.* Deleui, ut nubem, iniquitatem tuam. Et D. Petrus: *Act. 3.* Pœnitementini igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata vestra. *B 50. Et*

Disputatio

Gen. 3.

50. Et exempla conuersorum per pœnitentiam ad Deum, ostendunt has duas partes. Adam, cum sissetur ad tribunal Dei, accusatur voce legis, quam fuerat transgressus, et perterritus, ut ubi consistat, ignoret: hæc fuit contritio. Postea erigitur voce Euangelii, audita promissione gratiæ, de semine mulieris, contrituro caput serpentis, hoc est, de venturo Messia ac saluatore hominum.

2. Sam. 12.

51. Similiter & Dauid arguitur à Nathã, & perterritus, ait: Peccaui Domino. Et fuisse perterritum vehementissimè, ex Absolutione addita apparet, cum illi dicitur à Propheta: Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris.

Luc. 7.

52. Sic in muliere peccatrice, per lachrymarum flumen Contritio ostenditur & cognoscitur. Postea audit absolutionem & consolationem: Remittuntur tibi peccata: Fides tua saluam te fecit, vade in pace.

53. Cumq; sæpius per omnem vitam labamur, & peccamus quotidie, necesse est, ut semper etiam pœnitentiam agamus, quàm diu hanc vitam viuimus, donec corpus hoc peccati exuamus & deponamus, quod fit in morte, ubi penitus absoluimur, & reuera à peccatis liberamur.

54. Porrò, Contritio, serius & verus est dolor cordis, siue conscientia, quæ agnitis suis peccatis, sentit Deum seriò irasci homini propter peccata, & dolet de admissis, Deiq; offensa.

55. Vel, ut nostra habet Augustana Cōfessio: Contritio, terrores sunt incussi conscientia, agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur, ac fugimus.

Psalms 6.

56. De his terroribus loquitur Scriptura, ut in Dauide est videre, precante & dicente: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valdè. Laboravi in gemitu meo, Lauabo per singulas noctes lectum meum

De pœnitentia.

meum, stratum meum lacrymis meis rigabo. In his terroribus conscientia sentit iram Dei.

57. Est autem metaphorica locutio in vocabulo Contritionis de pœnitentia, sumpta à rebus exterioribus, & ad interiores animi cruciatus translaturum.

58. Quemadmodum enim corpus flagris conteritur & laceratur, sicut Gedeon viris Succoth, panes exercitui suo famelico negantibus, respondet & minatur: Cum tradiderit Dominus hostes in manus meas, & reuersus fuero victor in pace, conteram carnes vestras cum spinis & tribulis deserti. Quod & postea factum est. Item: Vitulus Aharonis contritus est vsq; ad puluerem. Iud. 8.
Exod. 32.

59. Ita etiam cor hominis quodammodo conteritur in pœnitentia, hoc est, conficitur dolore, propter admissa peccata, & offensum Deum, terroribus, & sensu iræ diuina.

60. Sicut cor contritum dicitur Psalm. 51. Et Esa. ult. Spiritus contritus, & tremens sermones Dei. De quo Hizkias quoq; conqueritur: Sicut leo contriuit omnia ossa mea Isa. 38.

61. Oritur autem contritio ista ex concione legis, cuius ministerio Deus utitur, ad reuelandum peccatum, eiusq; turpitudinem, & magnitudinem, iramq; suam aduersus illud, pœnas quoq; temporales & æternas denunciat.

62. Iuxta hæc Scripturæ testimonia: Per legem est agnitio peccati. Item: Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Item: Si non audieris vocem Domini Dei tui, maledictus eris in agro, domi, egrediens, ingrediens, &c. Et: Maledictus omnis, qui nõ permanet in omnibus, quæ scripta sunt in sermonibus legis huius, nec opere perfecit. Rom. 3. 7.
Dent. 28.
Ibid. 27.

63. Neq; verò sola legis concione Deus contritionem operatur, suamq; declarat iram, sed etiam calamitatibus, pœnis, pœnarumq; horribilissimis exemplis, quibus impœnitentes

Disputatio

peccatores omnibus temporibus puniuit, ut exempla extarent, de ira ipsius aduersus peccata commonefacientia.

64. Qualia sunt, diluuium, conflagratio Sodomorum, regnorum & populorum euerfiones & interitus: tribus Benjamin ferè excisa tota, propter libidines. Davidis & familiae eius tragici casus: Abductio decem tribuum Israël in seruitutem: Hierosolymorum vastatio altera, abiectio gentis Iudaica, &c.

65. Hæc pars sunt vocis legis, & quidem tristissima, de qua Psaltes canit: Propter iniquitatem corripis filios hominum. Sed quis nouit potentiam iræ tuæ?

66. Maximè autem illustre, imò atrocissimum exemplū ac spectaculum iræ Dei aduersus peccata, est Passio & mors filij Dei vnigeniti, quòd nulla alia inuenta est victima pro peccatis.

67. Porrò, ostendit & arguit lex Dei, non tantum externa peccata, dicta & facta contra mandata Dei: sed etiam internam cordis immundiciem, viciosos nempe affectus omnis generis, dubitationes de Deo, Epicureum Dei contemptum, securitatem, diffidentiam, superbiam, contumaciam, flammam libidinum, iræ, odij, inuidia, auaritiam, concupiscentiam prauam & inordinatam, quæ ex immundo, deprauato, & vitijs corrupto corde hominis, tanquam ex fonte turbido, scaturiunt & oriuntur, Matth. 15.

68. Hæc mala, & hi grauissimi morbi interiores, cognoscendi & seriò deplorandi sunt. Quod tamen ex sola lege non fit. Aliàs enim omnes, qui vel legis doctrinam audiunt, vel affliguntur, pœnitentiam agerent. Cum tamen multi maneant securi, multi etiam magis inde obstinati fiunt, ut Pharao, & alij.

69. Sed Spiritum S. accedere necesse est, qui tangat, moueat,

De Pœnitentia.

& feriat, per ministerium legis, corda hominum, alias pœnitere nescia, ut agnitis peccatis resipiscant.

70. Sicut videre est, ex concione Petri, die Pentecostes habita, qua grauissimè in Iudæos inuectus est, accusans ipsos, quòd in crucem egissent saluatorem, consecutum esse? Quibus, inquit Lucas, auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt: Quid faciemus viri fratres? Quibus respondit: Pœnitentiam agite. Act. 2.

71. Requiritur autem Contritio, non ut per, aut propter eam, mereamur & consequamur remissionem peccatorum: hoc enim sentire impium est, & Christi merito derogat: sed, ut voluntati Dei obtemperemus, qui vult, nos agnitis peccatis, eorumq; magnitudine expauescere, & ex animo coram se humiliari. Sicut inquit: Quæ est domus, quam mihi adificabitis, & quis est locus requietionis mea? Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperulum, & contritum Spiritu, & trementem sermones meos? Et tamen hæc ipsa quoq; Deo operatur, per illa media, de quibus est dictum. Isa. ult.

72. Quare non est disputandum de Contritione, utrum, aut quando sit sufficiens. Quia certum est, nullam esse sufficientem contritionem. Et non propter contritionem, eiusue dignitatem, remittuntur peccata. Cumq; dolor sine consolatione crescit: homo desperat, & ruit in æternum exitium, ut Cain, Saul, Iudas. Hæc non est salutaris contritio, vel pœnitentia.

73. Sed hoc modo perturbata conscientia, & contrita agnitione peccati, & sensu iræ diuinæ, metuq; mortis, & damnationis perpetuæ: requiritur, & accedat necesse est, doctrina Euangelij de Christo Salvatore, qui tum verè dulcescit in eius promissionibus suauissimis.

74. Sicut ipsemet dicit: Spiritus Domini super me, ad Esa. 61.

Disputatio

Luc. 4.
Matth. 23.

Euangelizandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, & predicarem captiuis indulgentiam, & claudis apertionem, ut predicarem annum placabilem (Iubileum) Domino, ut consolarer omnes lugentes, &c. Hodie, inquit, est impleta haec scriptura in auribus vestris. Et iterum: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam.

75. *Hic Christus propitiator & redemptor, vera fide (qua altera pars est, pœnitentiam constituens) hoc est, fiducia apprehendendus, & quasi utraq; manu est amplectendus: qua homo peccator credit, sibi propter ipsum Mediatorem et saluatorem, gratis, ex mera Dei misericordia, remissa esse peccata, & recipi se in gratiam, iustificatum, & habere vitã eternam.*

Rom. 3.

Eph. 2.

76. *Iuxta haec, & alia scriptura S. S. testimonia clarissima: Iustificantur gratis, per ipsius gratiam, per redemptionem, qua est in Christo Iesu, quem constituit Deus propitiator, per fidem in sanguine ipsius. Concludimus igitur, fide iustificari hominem absq; operibus legis. Item: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur.*

77. *Hæc fides veram Christianam & salutarem absoluit pœnitentiam, & discrimen facit inter contritionem & pœnitentiam Cain & Dauidis, Iudæ & Petri. Qui pariter omnes horribiliter peccauerunt.*

78. *Quia enim ad Cain & Iudæ contritionem fides non accessit, ideo oppressi doloribus & terroribus, desperauerunt, in æternum ruentes exitium.*

79. *Ad Dauidis autem & Petri contritionem, fides accessit, apprehendens remissionem peccatorũ, donatam propter Christum: Ideo ex ingentibus suis doloribus eluctati, reuixerunt, & saluati sunt.*

80. *Hæc*

De poenitentia.

80. Hæc fides erigit, sustentat, & viuificat contritos. In-
xta illud: Iustificati fide, pacem habemus erga Deum. Hæc
fides consequitur remissionem peccatorum. Hæc fides iustifi-
cat coram Deo: Iustus enim fide sua uiuit.

Rom. 5.

Abac. 2. Rom. 2.

81. Non sufficit autem generalis fides, qua homines cre-
dunt, esse Deum, iustum, punientem impios & sceleratos, ac
misericordem & propitium iustis: aut, remitti quibusdam
peccata, sanctis scilicet.

82. Sed requiritur specialis, ut ita loquamur, fides, hoc est,
qua unus quisq³, aut singuli credant, Sibi quoq³ propter Chri-
stum remitti peccata.

83. Hæc fides terrores conscientia vincit, iustificat, rege-
nerat, & pacatam reddit conscientiam, liberat ex terrori-
bus, & pacem, gaudium, & nouam vitam in corde parit.

84. Nec potest remissio peccatorum, nisi Sola fide accipi, qua
credit homo peccata sibi remitti, per & propter Christum.

85. Hæc enim fides, Organum est, instrumentum unicum
& quasi manus, apprehendens Christum, & in ipso remissio-
nem peccatorum, iustitiam, & vitam æternam.

86. Nam conscientia territa, non potest opponere ira Dei
bona sua opera, aut dilectionem Dei, vel hominum. Sed ita
demum pacata & tranquilla redditur, cum apprehendit
Mediatorem Christum, & credit promissionibus, propter
illum donatis.

87. Et hoc est, quod D. Bernhardus elegantissimè dixit:
Itaq³, si credis, peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli
peccasti, in quem peccatum non cadit, bene facis. Sed adde
adhuc, ut & hoc credas, quod per ipsum peccata tibi donan-
tur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus S. in corde
nostro, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbi-
tratur Apostolus, Gratis iustificari hominem per fidem.

In annunciat.

B. Marie

Serm. 1.

88. Qui-

Disputatio

88. Quibus verbis non solum docet, Iustificationem apud Apostolum idem esse, quod remissionem peccatorum, sed etiam fide singulos sibi eam applicare, qua iustificatur homo coram Deo gratuita Dei misericordia, propter Christum.

89. Sic & Tertullianus de verbis Domini: vivo ego, nolo mortem peccatoris, ait: Inuitat premio salutem, iurans etiam, Vivo dicens, cupit sibi credi. O beatos, quorum causa iurat Deus. O miseros, si nec iuranti Domino credimus.

90. Et praeclare Ambrosius de poenitentia: Ergo & agendam poenitentiam, & tribuendam veniam, credere nos convenit, ut veniam tamen, tanquam ex fide speremus, tanquam ex syngrapha fides impetret. Item: Fides est, qua peccata nostra cooperit.

91. De hac fide, in conuersione remissionem peccatorum accipiente, per Christum, Apostolus Petrus non solum Cornelio, eiusque domui, sed toti etiam Ecclesiae, consensum Catholicum totius Ecclesiae allegans, concionatur, & dicit: Huic (Christo) omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

92. Vnde non modo Ecclesiam Catholicam non esse, sed omnino ab Ecclesia alienos esse, apparet omnibus, & est manifestum, Aduersarios nostros, Pontificios, qui consensum illum de doctrina, contra omnes Prophetas & Apostolos negant.

93. Ac insuper conscientias incertas, ambigentes, & dubitantes relinquunt, num habeant remissionem peccatorum, de qua hac esse dubitandum docent, Imò fidem veram iustificantem damnant, & anathemate suo feriunt: Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hesitatione

Coneil. Trid.
de Iustificat.
Sess. 6.
Can. 13.

De Pœnitentia.

tionem propria infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, Anathema sit.

94. Atqui fides, qua secundum Scripturam S. analogiam, homo peccator iustificari dicitur, non nostra nititur dignitate, sed gratuita Dei misericordia, gratis remittentis peccata, & iustos pronunciantis omnes verè in Christum credentes.

95. Et ideo gratis Deus peccata remittit, per et propter *Rom. 4.* Christum, ut secundum gratiam firma sit promissio, hoc est, ne ulla dubitandi relinquatur occasio, aut causa. Quasi dicat: Semper nobis dubitandum esset de peccatorum remissione, nostraque iustificatione, si à nostra dignitate, operibus & meritis dependeret, & sic incerta foret gratia promissio.

96. Opponitur ergo vocabulum gratis, merito & dignitati operum, ac meritorum priorum, ut ex capitis illius initio clarum est.

97. Hac quoque de causa, Deus instituit Sacramenta, ut nos de peccatorum nostrorum remissione quam certissimos redderet. Sunt enim, sicut & Apostolus appellat, sigilla iustificationis fidei. Nam quemadmodum pacta, Testamenta, *Rom. 4.* contractus, & alia promissiones, sigillis appensis roborantur & confirmantur.

98. Ita promissiones quoque diuinae de aeterna nostra salute, etsi per se quidem certa sunt, indubie, & infallibiles, quia à Deo, qui est veritas, edita & profecta.

99. Quia tamen ingens & tanta est humana infirmitas, & maior, quam ut, praesertim in tentationibus & aduersis, ijs solis niti possit homo.

100. Ideo Deus Ecclesiae suae addidit Sacramenta, quae sunt sigilla, fidem nostram in promissiones Dei, quae sunt litterae ipsius ad genus humanum, confirmantia.

101. Hac eadem de causa, & clauis regni caelorum instituta, quae in pœnitentia, Absolutionem, quae est vera vox Euāgelij,

Disputatio

gely, hoc est, remissionem peccatorum, exhibent & admini-
strant, fidemq; confirmant.

Rom. 5.

102. Quia fides est ex auditu verbi Dei, qua hinc oritur,
fouetur, crescit, augetur, erigitur, et confirmatur. Audita
enim absolute, conscientia consolationem concipit. Iusti-
ficati enim fide pacem habemus erga Deum.

Matth. 9.
Luc. 7.

103. Et vult Christus, ut miseri peccatores, per terrefacti
agnitione suorum peccatorum, tranquillo sint animo, & fir-
miter remissionem peccatorum credant, cum inquit: Confide
fili, remittuntur tibi peccata tua. Et peccatrici: Fides tua sal-
uam te fecit, vade in pace.

104. Quemadmodum & Apostolus de Abraham scribit:
Qui contra spem credidit in spem, & non est infirmatus fide.
In promissione etiam Dei non hesitavit diffidentia, sed con-
fortatus est fide: plenissime sciens, quod quaecumq; Deus pro-
misit, potens est & facere. Ideo reputatum est illi ad iustitiam.

105. Hinc Apostoli Pauli $\omega\lambda\eta\rho\omega\phi\omicron\gamma\iota\alpha$. Certus sum. Et:
Scio cui credidi. Item: Quis igitur separabit nos a dilectione
Dei. Certus sum, quod neq; mors, &c. poterit nos separare a
charitate Dei, qua est in Christo Iesu, Domino nostro.

1. Ioan. 5.

106. Mendacem igitur facit Deum, inquit alius Apo-
stolus, qui non credit Deo: Quia non credit in testimonium,
quod testificatus est Deus, de filio suo.

107. Ideoq; error est, in Ecclesia Dei intolerabilis, pugnans
cum tota Sacra Scriptura, cuius scopus est, ut credamus in
filium Dei, qui traditus est propter peccata nostra, & resur-
rexit propter iustificationem nostram, & sic ab ea damna-
tus: docere, dubitandum esse homini de clementia Dei erga
se, num sit in gratia apud Deum, & de peccatorum suorum
remissione.

108. Sicut & in eadem Scriptura S. damnatus est error
Novatianorum, qui negauerunt, post baptismum lapsos in
con-

De poenitentia.

confessione, recipiendos esse in Ecclesiam, aut remissionem peccatorum posse consequi.

109. Similiter & eorū, qui negant hominem remissionem peccatorum, gratis, per solam fidem consequi, sed propter contritionem & alia bona opera.

110. Porrò in reconciliatis fide, necessario sequuntur bona opera, quæ sunt fructus poenitentia, hoc est, obedientia erga Deum, & omnis generis bona opera, quæ Deus in lege sua mandavit.

111. Iuxta illud Baptista: Fasite ergo fructus poenitentia dignos. Item: Debtores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus, si enim secundum carnem uixeritis, moriemini, si uerò Spiritu facta carnis morificaueritis, uiuetis. Matth. 3.
Rom. 8.

112. Necessaria igitur est Noua & inchoata obedientia bonorum operum, non quidem, ut ijs peccatorum remissionem consequamur. Hanc enim Christus nobis sua obedientia impetrauit, eamq; fide in ipsum consequimur.

113. Sed propter mandatum Dei, & ordinem hunc diuinitus institutum, ut fidem, quæ lux est in mente, bonis operibus, & gratitudinem nostram erga Deum, propter ingentia & innumera in nos collata beneficia, declaremus, & sic in Nouitate uitæ ambulemus.

114. Est autem imperfecta in hac uita obedientia ista. Ideoq; inchoata dicitur, quod in hac uita inchoetur tantum, in illa autem altera perficiatur.

115. Quare iudicio Dei opponi non potest, propter imperfectionem. Vnde Dauid precatur: Non intres in iudicium cū seruo tuo, quia nō iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Psal. 143.
Psal. 130.
Item: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit?

116. Et tamen placet Deo. Quia persona est in gratia, & placet Deo fide propter Christum, sicut parentibus in filijs qualiscunq; conatus.

Disputatio de poenitentia.

Rom. 6. 117. Promisit etiam premia prestantibus obedientiam, cum in hac, tum etiam in altera vita perpetua: sed non ipsam vitam eternam. Hac enim donum Dei est in Christo Iesu, non meritum operum nostrorum.

1. Timoth. 1. 118. Ac debet hac obedientia repugnare prauis cupiditatibus, & cauere, ne quid contra conscientiam committatur, iuxta illud: Summa legis est, dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.

Gal. 5. 119. Qui vero obtemperant prauis cupiditatibus, & agunt contra conscientiam, versantur in peccatis mortalibus: nec fidei iustitiam, nec bonam conscientiam retinent, nec in eis perseuerantes saluantur. Iuxta illud: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

120. Ideo cum concupiscentia semper maneat reliqua, & sepius per omnem vitam labamur, & peccemus: opus est, ut semper etiam agamus poenitentiam, quam diu hanc vitam viuimus, donec corpus hoc peccati deponamus, quod fit in morte, ubi penitus absoluihur & liberamur a peccato.

121. In illa autem altera vita, vera erit perfectio, sanctitas, iustitia, & conformitas cum lege diuina.


122. Deo Patri Liberatoris nostri Iesu Christi, summas agamus gratias, quod nostro hoc seculo lucem verbi sui, & doctrine caelestis cum de alijs partibus, tum etiam de poenitentia, doctrinam maximè necessariam, et salutarem, nobis restituit: quae superioribus temporibus in Pontificio, Antichristiano regno, tyrannide & captiuitate Ecclesiae Babylonica, varijs labyrinthis & erroribus multiplicibus ac horrendis, inuoluta fuit & obscurata.

123. De quibus proximè, propria Disputatione, Deo uolente, nosq; Spiritu sancto iuuante, agemus.

FINIS:







Farbkarte #13

B.I.G.

3



Disputatio
DE POENITENTIA.

De qua

Auspicijs Sacrosanctæ Trinitatis,

VTHORE ET

ÆSIDE REVERENDO

CLARISSIMO VIRO, IACOBO

brando, S. S. Theologiae Doctore, eiusdemq̄

ademia Tubingensi, Professore eximio, præ-

ore suo summa obseruantia colendo, 12. Mar-

ij, hora 6. matutina, in aula noua, exercitiij

causa, pro ingenij sui tenuitate, re-

spondere conabitur,

M. Christophorus Lindlin Stutgardianus.



Ed 67

tubingæ, Per Alexandrum Hoggium, 1585.



*Hand
No. 5.*

